



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Ex libro, qui Speculum exemplorum vulgò dicitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Ex libro, qui Speculum exemplorum vulgò dicitur.

Distinctione decima, §. 7.

1. **I**N monasterio regularium, prope Swollas, vulgari nomine Mons S. Agnetis nominato, erat quidam monachus, dictus Thomas à Kempis: quem nedum sanctissima vita religionum, verum etiam deuotissima scripta reddiderunt famosum.

2. Is cum iuuenis esset, & Dauentriæ scholas frequentaret, deuoti viri M. Florentij (qui congregationi, quæ illic est, nomen imposuit) regimini se subiecit: atque eam deuotionem, quam in prouectiori ætate copiosè abundèque scribens effudit, puer imbibit. Habuit enim deuotus puer, inter cætera piæ deuotionis suæ exercitia, etiam illam consuetudinem, vt dietim capta hora certas orationes atque suffragia de B. V. MARIA, quasi diurnam pensionem, exolueret: nam diligebat eam, & vehementi amore sibi iungebatur. Verum quia instabilis & mutabunda est puerilis deuotio, cœpit & in eo laxioribus velis pia hæc consuetudo nauigare.

3. Pedetentim igitur solitas orationes atque suffragia, primò ad vnum diem, dehinc ad duos aut tres, demùm ad quatuor, tandem ad integram septimanam neglexit; & quod dolendum est, postremò vniuersa postposuit. Quod dum ageret, visum est sibi in visione nocturna, quasi staret in atrio prædicti M. Florentij: ubi, dum vnà cum alijs scholaribus, qui illuc confluebant ad audiendum diuinum verbum, auidas aures, ad ea quæ dicebantur, inclinaret; conspexit in nubibus cæli desuper venientem Dominam mundi; quæ dum facie decora & fulgenti habitu ad prædictum atrium descendisset, circuiuit fratres, qui illic verbum Dei audientibus loquebantur: Et nunc hunc aut illum amorosissimè complexata, gratias videbatur eis refundere, quòd tam pijs admonitionibus satagere viderentur, ne precium sanguinis dulcissimi filij sui in illis iuuenibus deperiret.

4. At adolescens hæc intuens, & videns virginem in mulieribus benedictam ruere in amplexus fratrum dictorum: ardens & æstuans, liquefcens & sperans stabat, & in ipsam amorosum lumen firmitus detorquens, inter semetipsum dicebat: Paululum expectabo: & cum felix Virgo charitatis insignia cæteris sufficienter ostenderit, tunc etiam & mihi, qui eam etsi non digno, saltem possibili amore prosequutus sum, habebit amplexum chari-


tatis

VITA THOMAE A KEMPIS.

tatis offerre. Sed heu, quia sæpe in contrarium vadunt spes firmæ mortalium, iuuenis iste osculum sperabat, dulce pignus amoris, sed verbum asperæ increpationis accepit. Siquidem Virgo beata, posteaquam singulos, qui pijs admonitionibus florentem confluentium scholarium ætatem ad meliora prouehabant, dulcibus amplexibus demulisset: venit tandem ad prædictum adolescentem, & seuerioribus luminibus eum aspiciens. Frustra, inquit, amplexum petis sancti amoris, hostis acerbe; qui exosa amicitia negligentia malo cõsule fretus, debitam atque solitam mihi pensionem flammâcium precum non soluis. Siquidem, vbi nunc sunt consueta preces tuæ? Quo solita orationes auolarunt? Vbi mixta suspirijs pia suffragia? Nõnne refriguit in te charitas, torpuit amor, deuotio quondam habita vacillauit? Et nunc tu, quasi nihil peccatum sit, stas; & audaci fronte amplexum manes, qui argui magis meruisti. Et indignabunda vultum auertens, abi (inquit) abi à me: quia amplexibus meis indignus censeberis, qui tam facilem precem amata soluere neglexisti. Atque sic iustis increpationibus laceratum relinquens, cælis refusa disparuit.

5. Ceterum iuuenis post visionem euigilans discutit conscientiam, inuenit culpam, proponit emendam. Et, ne de cætero Virginis beata frustraretur amplexibus, neglecta dimissaque suffragia ita legenda rearripuit, vt vsque in finem vitæ suæ nullo ea die auferit postergare. O felix reprehensio, quæ correxit errorem: quæ amoris fœdera paululum dirupta refarciit, quæ negligentia nauum excusit!

Ibidem, distinctione decima § 8.

6.  Vm quadam vice prædictum fratrem Thomam dæmon vellet deterrere, nocte in teterrima horrendaq; forma apparuit: quem cum frater Thomas lecto appropinquare vidisset, intremuit primum ad laruaem intuitum; & quid contra tam horrendi hostis insidias auxiliij sumeret, ignorauit. Tandem diuino spiritu instigatus, angelicam coepit salutationem tremula voce (nam vehementer extimuit) quàm melius potuit personare. Sed diabolus, quasi nihil ad hanc salutationem motus, magis magisque trepido coepit promixare: quousque monachus in salutatione prædicta cõsque peruenisset, vt Dominus noster I E S V S Christus amen acclamaret. Quod terrificum nomen vbi dæmon audiuit, quasi horrendo quodam tonitruo pauefactus, vultum vertit, & quàm citissimè potuit clamantis vocem aufugit. Videns igitur frater Thomas, ad tanti nominis virtutem dæmonem stare non posse, audaciùs caput pauidum erexit: & repetitis viribus benedictum nomen Iesus Christus post fugientem hostem in-

clama.

VITA THOMAE A KEMPIS.

clamavit: & quo ipse clamabat fortius, eo vehementius teter spiritus fugiebat. Quod ubi cognouit religiosus vir, gratias agens Domino Deo, dixit apud se, Si hoc sanctissimo nomine tam facile possum aduersæ potestatis vires infringere, de cætero nolo, ut hæc feci, vel demonum machinamenta timere; vel sub eorum, quamuis horrendis minis, fide vacillante trepidare.



DE VITA

THOMÆ
MALLEOLI
A KEMPIS,

FRANCISCO TOLENSI
CANONICO REGVLARI AVTHORE.

Loquitur
de Imitatione
Christi.



In monte
S. Agnetis
prope
Svvolam.

PER AE precium facturum me existimaui, si illa, quæ de huius libelli parente, viro pietate & morum puritate maximo, partim ex præscorum monumentis, partim ex relictis & definita habeo, ad cunctorum notionem proferam. Dandum hoc pietati, quæ ab omnibus maximi fit, versaturque in manibus piæ eruditorum plurimis: tum etiam huius domus (cui etiam is vita incolumi præfuit) charitati, quæ illi & popularem me & fratrem effecit. Neque enim mihi fore integrum putabam, sine scelere & conscientia labe silentio suppressa præterire, vel quæ ad nominis eius sanæ perillustres, & laudatissimorum scriptorum: vel ad huius decantatæ quondam domus ampliorem commendationem factura videbam. Spes etiam est nonnullos exstimulandos ijs ad pietatem, rerumque mundanarum contemptionem.

2. Natus est vir integerrimus Thomas noster à Kempis (quod esse Menapiorum ignobile oppidulum dicitur) parentibus obsecris quidem si mundi fastum geniumque cum deprauatis spectes opinionibus: sed honestis, & pietate vitæque probitate apud Deum